

carbonibus igneis coquunt, & secundo melle unctam reponunt ad ignem quousq; se fregerit, deinde extrahunt, & lavant sicut cadmiam.

*De Arsenico.*

**A**rsenici optima sublimatio. R. libram i. de ipso bono & electo, in mortario æneo subtilissime tere: quo remoto & seorsum posito, accipe tantundem æris usci, quod in eodem mortario subtilissime teres, & ipsum tritum cum Arsenico pones: tunc accipe tantundem salis gemmæ, & eodem modo tere, & repone cum duobus prædictis, ultimo de blancheto, quod proprie cerussa dicitur. Et hæc quatuor super tabulam vitream ( aut vitreatam ) terendo fortissime commisce primo ea cum manu vel virga grosso modo, postea ita fortiter & diligenter super tabulam marmoream conterendo quousq; ad plenum partes singulæ subtiliter sint commixtæ. His ita peractis, assabis hoc modo: calefacias primo larem planum de tegulis, vel de terra forti & cum fuerit calefactus, consperges de super cineres cribellatos usq; ad spissitudinem duorum vel trium digitorum, & pulverem illorum quatuor sic mistorum in una pelvi vitrea, vel saltē vitreata & bene lata quanto minus poteris conspersum, & diligenter sparsum impones. Deinde accipe crapam unam calidam, quæ ad ignem æqualiter ex omni parte fuerit calefacta, & vide ne calor eius notabiliter excedat calorem laris, & pone crapam ipsam super larem calidum, pelvim cum prædicto pulvere includendo quanto magis æqualiter poteris ita caute, quod calorem æqualem ab omni parte habeat, & vas intus positum in parte aliqua non contingat, & ita permitte quiescere, donec totum infrigidatum sit perfecte, & tunc extrahe: & si inveneris pulverem subtilem non congestum neque conglobatum, bene est: sin autem iterum super marmor pulveriza & assa, sicut prius toties, quousque totum per assationem in subtilem pulverem convertatur. Hæ autem assationes optime fierent in stufa vel furno calefacto, & dicto modo specialiter ad hoc temperato. Cum ergo per assationem totum in subtilem pulverem fuerit sic conversum, pones in vase sublimationis sub sternendo unum bonum lectum de sale asso non crepitante, vel de calcetestarum ovorum, vel alio consimili. Vas ergo claudere cum luto sapientiæ, quanto æqualius & levius poteris, ita quod nullatenus respiret, quod sic sit. Accipe cineres cribellatos, & partum minus de sale communi, & cum albuminib; ovorum distempora terendo subtiliter super marmor,

& non